Q. D. B. V.

# DISPUTATIO PHYSICA QVA MAGIAM DOEMONIACAM CEU ILLICITAM, & NATURALEM CEU LICITAM,

IN ELECTORALI AD ALBIM ACADEMIA

EXPLICABUNT

PRÆSES

M. LAURENTIUS BUGGES,
Neo-Sedin. Pomer.

*Respondens*

SAMUEL PORATH, FREIENWVALD. Pom.

*Ad D. 9 Septemb. Anno 1667.* Octob.
Horis & Loco consvetis.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS HAKEN,
M. DC. LXVII.

A. 5068.

# FELICITER.

Mirabiliter natura quandoq; ludit nostra adeò ut mox perfecta dicatur, imperfecta salutetur interdum. Vulgò disserentem cur Magnes ferrum trahat, cur Papyrus in Muséo pendula modò huc, modo illuc, rapiatur sine motore, deque his rationes dantem cum audit, statim obstupescit, & â naturâ opus profectum Diabolo credit. Quô ipsô Eam imperfectam reddere, quam longius in rationes inquirere mavult. Perfectam contrà exclamat illam, cum Ungventum Armarium Vulneratum per aliquot milliaria absentem, cum tamen disserens exactam nullam det rationem, sanare possit, hocque opus non â naturâ profectum, adscribit naturæ. Et quid tergiversatione opus? Dicam uti res est: Naturalem gubernare causam, quæ in probandis per aquam frigidam lamiis, supernatantes pronuntiet reas, submergentes exclamet innocentes, dicunt quandoque sapientes, quandoque insipientes, utrique errantes. Quippè Diabolo relinquenda erunt, quæ vulgò naturæ sæpius dantur, & naturæ non erunt detrahenda, quæ Diabolo ut cernimus semper, asscribuntur. De virgula Mercuriali disputantur multa, adeò ut quidam actionem ejus ad naturam seu ad qualitates occultas, quidam ad Diabolum referre velint. Utraque sententia suos habet defensores, Patronos; Posterior tamen Probatissimos, verissimos, decidente enim B. Sperlingio: magis Ea ex pacto implicito cum Satanâ, quam ex naturâ agere videtur. Scilicet si confusio mater Erroris sequi non debeat, distingui o-

portet Magiam Naturalem â Dæmoniacâ. Quod impræsentiarum facere constituimus. Tu Rector utriusque nostro adesto Labori!

§. 1.

PRæsupponimus in genere; *Magiam esse habitum rerum abditarum scientia, operumque mirandorum arte constantem.* Ubi notum satis,

§. 2. Magiam non â Græco μανθάνειν quod est discere proficisci, sed â Persico Vocabulo, quod nihil aliud significat quam Græcis σοφὸν, Latinis Sapientem aut Philosophum. Fuerunt autem Magi Sacerdotes Medici, Physici Mathematici, unde in magno eos apud Persas fuisse æstimio constat, adeò, ut docente Gellio l. 10. c. 9. *nemo ad imperii clavum penes Persicos fuerit elatus nisi prius Magica fuerit imbutus arte.* Sumitur verò quandoque Latè pro ipsâ Philosophia seu studio rerum humanarum & divinarum. Unde Cælius Rhodiginus l. 3. Antiq. lect. c. 42. dicit: *nihil Magiam fuisse aliud quam altiorem sanctioremque Philosophiam.* v. B. Meisnerus P. 2. Phil. Sob. Sect. 2. c. 2. quandoque strictè *pro habitu rerum abditarum scientia operumq; mirandorum arte constante,* Observante Cl. Seybothio Syst. Phys. c. 12 de Mag. §. 1. Interim tamen & Rustici Magiam ad suam referre sciunt divinationem. Mox alius ex Paulinæ diei constitutione annonæ caritatem, alius vilitatem colligere tentabit. Ast magis ridicula, qvam applausibilia plebs credula producere potest. Veteribus Germanis vocabantur ejusmodi Magi die Pfaffen/ hinc etiam remansit, ut in nonnullis cibis partes lautiores & Lectiores vocentur Pfaffen stückgen/ quia olim in Conviviis lautissima apponebantur illis uti Excell. Dn. Kirchm. in Colleg. nondum Edito annotat Clare.

§. 3. Definivit verò B. Sperlingius Præceptor Desideratissimus in Instit. Phys. l. 2. c. 4. Magiam non *per Artem ut Theophrastus Paracelsus,* ne Magiæ Theoreticæ, quæ hac ratione expellitur inimicus esset; neque *per Scientiam* ut *Joh. Baptista Porta* ne Regulam illam Logicam: Genus non sit angustius suâ

ius suâ specie, iratam redderet sibi, *sed per habitum non simplicem* sed compositum seu mixtum ex scientiâ scilicet & arte constantem. Et ita non ingeniorum feritatem, sed rerum uti undique sectatus est veritatem.

§. 4. Hanc Magiam dividit *in Theoreticam & Practicam.* Illam nominat *rerum obscurarum & abditarum scientiam.* Qualem Anaxagoræ in siccitate etiam maxima pluviam prædicenti Plin. H. N. l. 18. c. 28. attribuit. *Hanc cognitionis ad opera miranda esse applicationem,* affirmat Idem. Secundum hanc fabricare docent specula Catoptrici, ad quorum aspectus aliquis capite asinino, vel canino, vel suillo, vel pedibus sursum elevatis, vultu in Terram projecto incedere, aliaque mira cernere videtur: quin & absque speculis in obscuro cōclavi pendulam & luminosam imaginem quasi volitare non sine metu sentit, ut Joh. Bapt. Port. l. 17. Mag. nat. c. 8. & 9. luculenter declarat. Et sane talia videre qui optat, Electoralem adeat Dresdam, ubi pectus in mirandis saturabitur satis, moxque sapiens talia ibi adspiciens glaucoma sibi objectum esse putabit; De plebe libenter, cui quod insipiens sit sat est, tacebo v. Cl. Seyboth in Pæd. p. 89.

§. 5. Sed properamus, ut ad scopum denique deveniamus, Utramque subdividentes: *in Naturalem & Dæmoniacam.* Hacque destructa eam adstruamus. Sit ergo de Dæmoniacâ.

# Quæstio Generalis, Quousq; se Magia Dæmoniaca, seu potentia Dæmonum circa res extendat naturales?

§. 1. Oppositа juxta se posita elucescere magis norunt omnes qui Hospites atque Peregrinos se in Logicis profiteri nolunt.

nolunt. Gratiam Lucis, recommendat quam maxime obscuritas noctis. Danus aut Svecus juxta Æthiopem collocatus eo candidior & amabilior, quo turpior apparebit Æthiops. Non itaque sine gratia Magiæ Naturalis, apposuit Dæmoniacam Excellentissimus Noster. *Hæc est Privatio Habitus, quem in mancipiis suis suplere conatur Dæmon*, & dispesci solet in tres classes nimirum *in Divinatoriam*, *Præstigiatoriam*, & *Effectoriam*.

§. 2. *Divinatoriam nominant Rerum abditarum ope Dæmonis partam cognitionem.* Multa de Spiritibus dicuntur familiaribus, qui includi se crystallis, annulis, capsulis, aliisq; rebus, ac ita se circumferri permittunt, ut homines multivariis scientiis, quas ingenium semper optat sibi præcox, sapienter mox dixissem fraudulenter, imbuere, multaque mira & occulta Hominibus insusurrare & revelare possint. Talem Spiritum Jacobus Jodoci de Rosa nomine habuit. Ille Annulum circumgestavit, in quo exorcismis colligatum putavit Dæmonem, quem singulis quinque diebus, ut minimum alloqui, & de rebus novis aliisque consulere coactus fuit v. Wierum l. 6. de præstig. Dæm. c. 2. *Horum Spirituum alios esse Saturninos, alios Jovialeſ, alios Venereos, alios Mercuriales, eosque certo ritu eße colendos docet.* Crispetus l. 1. de Odio Sat. Disc. 12. Cum Ergo dentur ejusmodi Spiritus, uti multis probari potest Historiis, ita merito eos referimus ad Divinatoriam hancce Magiam.

§. 3. *Præstigiatoriam admirandorum operum, sed apparentium auxilio Diaboli salutant productionem.* Illusiones ac deceptiones Diabolicas pro fundamento habet, hæc ipsa Magia, de quibus taeere quam parum loqui satius erit. Cupido multum habendi, semper vexat mortales, adeo, ut Thesaurarium etiam sibi eligant infernalem, qui post Longas in hac terra delusiones, illos denique in infernum, tanquam in damnatorum tabernaculum recipere possit. Ita refert Philippus Melancht. Homines decem Magdeburgi ruina turris oppressos esse, cum ad Thesauros, quos docuerat Satanas reperiendos, effoderent. Delrius l. 2. disq. Mag. q. 12. dicit:

Dæmo-

*Dæmonem cuidam nobili Matrónæ Moſellanæ multa dediſſe Numiſmata, quæ illa repoſuerit in arca; Verum cum uti voluit, ſimum Equinum reperit Loco Numiſmatum.* Et quid non de deluſionibus Fauſti pueri ſciunt in Plateis? Scilicet per facile deluſionibus iſtis poteſt mens credula capi. Trojani vix ex pugnati fuiſſent, niſi Equo (Ubi tamen natura, non diabolus eos vexabat,) credidiſſent fallaci. Et multæ Lamiæ non comburerentur, nimium ſi non crederent, magiſtro ſuo fallaci Sagaci, ſummas illis promittenti divitias, quas tamèn oſtiatim quærere coguntur. *Uti conſtat Exemplo Zigeunorum.* v. Peic. de Incant. p. 161.

§. 4. *Effectoriam dicunt eſſe admirandorum operum realium auxilio Diaboli productionem.* Hæc quam maxime habet profine incommodum mortalium. Quippe ita nos miſeri Expoſiti ſumus his in caſtris diaboli inſidiis, ut ne quidem in ſomno tuti eſſe poſſimus. Ita non tutus eſſe poterat piiſſimus Hiob. Summa enim & maxima diaboli voluptas eſt, eludere miſeros, & angere mortales. *Quanta vero diaboli malitia & potentia*, tanta DEI longanimitas atq; patientia, inquit Excellent. Dn. D. Pomar. Coll. Synop. diſp. 13.

§. 5. *Non autem mortuos reſuſcitare poteſt Dæmon.* Multi aquæ ſubmerſi, alii aliter exanimati, alii ignibus injecti, & rogo impoſiti, alii in bello cæſi, poſt plures etiam dies revixiſſe leguntur. Quemadmodum de multis teſtatur Plinius l. 7. Hiſt. natur. cap. 52. Et *Simonem Magum etiam ſuſcitaſſe mortuos conſtat ex Clemente Rom.* Et Egeſippo l. 3. de Excidio Hieroſol. c. 2. *Sic etiam Enarchum mortuum, in vitam â Dæmonibus eſſe reductum teſtatur* Plut. l. 1. de Animâ. Verum non omnia quæ afferuntur ſunt vera, ſed multa fabuloſa, meræ diaboli præſtigiæ, ac illuſiones. Reſuſcitare mortuos eſt ſupra naturam, jam illa quæ ſunt ſupra naturam miraculoſa ſunt, & â nullo ente finito & creato, ut eſt Dæmon perfici poſſunt; Interim tamen Dæmonem quandoque poſſe corpus verè mortuum aufferre clanculum, & ſubſtituere aliud aereum, illudque movere inſtar viventis non negamus, *ſicuti abſtuliſſe corpus legitur Romuli, Cleomedis, & aliorum.* apud

*Adducitur quid Dæmon non poſſit?*

Liv. l. 1. Plut. in Romulo. Herod. l. 4. Quandoque Eum corpora verè mortua subintrare, eaque movere, & in illis, ac per illa imitari opera, ac gestus similes viventium, insimul, atq; affirmamus. Sicuti luculentum Exemplum Delrius l. 2. disq. Magic. q. 29. Sect. 1. de Cornelio Agryppa narrat, quod ex eo totum refert, Schottus Phys. Cur. l. 1. mirab. Ang. ac Dæmon. c. 36. §. 5. p. m. 177. Sicuti.

§. 6. *Neq; Dæmon homines in lupos* feles, canes convertere aut alias species inter se permutare potest. Refert August. l. 18. de Civ. DEI. c. 17. *extitisse suo tempore mulieres stabularias in Italia, quæ viatoribus caseum venenis infectum dederunt, quo caseo sumpto viatores in jumenta versi onera portaverunt.* Longum & mirabile Exemplum de Petro Bourgoto & Michaele Verdung vid. ap. Johann. Wierum l. 6. de præstig. c. 11. quem si adire, non placet, adeas Schottum, ubi in corruptum illud videbis. Multa refert Plin. non tantum *de Dermarcho* l. 10. c. 24. Sed & de *Arcadibus* l. 8 c 22. quem vide. Olaus Magnus l. 18. c. 45. & 47. refert *in Prussia Livonia, & Lithuania frequens esse, ut in festo Nativitatis Christi, sub noctem, statuto in Loco, homines maximâ multitudine conveniant, & ibidem, in Lupos convertantur, qui mox eadem nocte mirâ feritate inanimalia & homines sæviant, &c.* Addit etiam *de pariete aliquo, ex diruto quodam castello reliquo inter Samoghetiam, Lituoniam, & Curoviam ad quem certo anni tempore aliquot millia eorum, ut agilitatem suam saltando explorent, convenire dicuntur*; modum conversionis denique addit, & testes oculatos, si habere velis audi illos ap. Bodinum l. 2. Dæmonol. c. 6. De Sociis Ulyssis Lycaone Ovidii hic tacebimus, cum magis fabulas Poëticas, quam veritatem sapere videantur. Minime etiam curamus Theophrastum Paracelsum *transformationem hominis in lupos credentem*, neque Casparum Peucerum, quem citat B. Sperling. in Instit. qui, non tam facile â veritate in falsitatem proclivis esse debebat. Dominantur quidem ad tempus Exempla, ast, ad veniente ratione cedere coguntur. Nulla anima inquam â corpore separata alienum, & specie distinctum, invadere potest corpus. Si igitur velit unam

Spe-

Speciem in alteram transmutare formam, aliam materiam Specie distinctam introducat oportet, at hoc non potest, datur, enim semper, proportio inter materiam & formam, non enim quælibet forma potest quamlibet informare materiam, sed eam tantum quæ est proportionata. Sic forma Leonis obtinet corpus Leoninum, Canis Caninum &c. Sicuti habet Excell. Prof. Kirchm. in Colleg. Phys. olim habito. Accedit quod hæc transmutatio l. sit præstigiatoria l. merè frivolis nitatur experientiis v. Sperl. In Antropol. passim &c. asscribamus E. unicum Exemplum, in quo merus fuit Lusus, ut ex eo cætera judicari queant. Schottus l. c. sumpsit illud ex Majolo, alias illud habet Georgius Sabin9 in l. 7. Metamorph. Ovid. ex quo illud rursus mutuavit. Cl. Seybothius System. Phys. c. 12. de Mag. p. m. 293. Nempe apud Borussos talis nuper fuit captus, & Duci Borussiæ adductus à Rusticis. *Erat homo deformis, nec multum absimilis feræ, habebatq; vulnera in facie, quæ dicebatur accepisse morsus à canibus, ubi fuisset mutatus in Lupum. Is à quibusdam, quibus Princeps id negotii dederat, interrogatus ajebat, se quotannis bis immutari solitum, primò circa natalem Christi, deinde circa festum Johannis Baptistæ, illisque temporibus effærari, & cogi impetu quodam naturæ versari in Sylvis inter Lupos. Maximo autem horrore & langvore corporis se affici antequam pili erumpant & forma mutetur.* Hæc Affirmanti credita sunt. *Sed cum ad explorandam rei Veritatem diu captus in arce teneretur, ac diligenter à custodibus carceris observaretur, an aliquando fieret Lupus, retinuit semper eandem formam quam habuit. Is exitus fabulæ fuit.* Scilicet ita se res habet, transmutare species, potentiam sapit infinitam, quæ unice competit DEO, Qui ex aquâ Vinum, ex Baculo Serpentes &c. producere potest. At Dæmon non item vinctus enim & alligatus est potentiæ & gubernationi divinæ. Quod melius Theologi quam Physici norunt.

§. 7. *Neq; verè generare potest.* Licet multa clara ingenia Diabolo vim generativam attribuant, quæ apud Schottum cit. l. vide; attamen in eam sententiam ire non possumus, quæ

Dæmonem generare posse statuit. Forma informans ad tale requiritur opus, at Dæmon tantummodo assistens est, quæ se non aliter habet quam auriga ad regendum currum. Quinimo essentialiter Spiritus & immaterialis substantia est, Corpus autem istud assumptum Phantasticum & in Animatum est, penitusque ad generationem inhabile, Cons. Doct. Pom. l. c.

*Adducitur quid possit?*

§. 8. *Sed Effectus necessariò futuros, quales sunt tempestates &c. callidissime præscire de Contingentibus astutissime conficere, externa ad unguem scire* & incredibiles alios effectus edere potest partim Veros partim apparentes v. Excell. Kirchm.

§. 9. Dæmonem posse facere tempestates permittente DEO, concedit Wierus l. 3. de præstyg. Dæm. c. 16. *Lappos atq; Finnos tres nodos magica arte consecratos, olim mercatoribus vendidisse, quorum primo soluto placidos ventos, secundo vehementiores, tertio vehementissimos essent habituri* tradit Olaus Magnus l. 3. c. 16. asscribam verba Cl. Seybothii ita discurrentis; *non videtur præter omnem fidem esse, quod de Lappis & Finnis memoratur, qui ventos secundos pretio vendunt nautis. Quorum in obsequio cum sint Dæmones (maxima enim est in Septentrionalibus Idolomania) cur non ipsi aerem à puppi impellant, ut homines in superstitione dementatos magis confirment. Prævidentes enim & signis prænotantes Dæmones, quid possit natura aut suis ipsorum viribus geri, interpellant Magos ad pares ineptias, ut hæc illave parent, ubi succedit eventus, de suo artificio hi gloriantur, seque suis verbis, & herbis, fecisse opinantur. Et quid multis? Quicquid Deus permittit Dæmonibus*, illud invidere ipsis non possumus, non debemus. Habeant enim sibi potestatem talem, qualem nos exoptare ducimus esse nefas.

§. 10. *Damnanda Ergò Magia Dæmoniaca est in qua verba*, Characteres, demurmurationes, meræ sunt superstitiones atque delusiones. Figmentum est quando dicitur qvod Lojola Pater & Author Jesuitarum versum quendam Virgilianum recitaverit, Quô fœminam diabolo obsessam liberasse dicitur. Lusus tantum est qui facile credit, facile decipitur.

Quan-

Quantitatis enim nullâ vis, nulla Efficacia, per se scilicet, interim hominum superstitio facit, ut, quod per se nihil potest, diaboli versutia videatur aliquid efficere, & ita per Accidens inquit Clar. Nassius Præceptor Honorandus Log. Elect. l. 1. c. 4. p. m. 78.

§. 11. Damnandi etiam Spiritus illi sunt, quos vocant familiares: Hoc enim dictu & auditu inter eruditos durum est, quod sepositis mediis legitimis Labore & oratione, illegitimos quibus in momento summa quævis assequi possunt, assumant, & magis se Diabolo, ut olim Jesuitæ quos Dæmon in India excepit, & filios suos vocavit, quam DEO, à quo tamen ultima salus, mancipare atque offerre velint. Ast tristissimam solet Tragœdia hæc sortiri catastrophen. Bona enim ostendit, mala intendit pessimus Dæmon. vid. Hasenmull in Ord. Hist. Jesuit. c. 11. p. 427.

# Ita damnatis damnandis, adstruimꝰ de Magiâ naturali adstruenda.

§. 1. Hæc est habitus ex libro naturæ crebris actionibus comparatus. Vide Excell. D. Pomarium Collegio Synopt. disput. 13 posit. 2. Est habitus non infusus, neque conatus, sed comparatus, ad quem φύσις ἀσκησις καὶ μάθησις requiruntur statim. Hoc in habitu, quo nihil altius, aut plausibilibus dari potest, delicias ponit natura humana. Si quod nobilius, aut miraculo proximius in naturalibus scientiis aut excogitari potest, id reconditioris literaturæ Viri scientissimi Magiam dixerunt, inquit Johann. Baptista Port. lib. 1. c. 2.

§. 2. Divisionem, quâ dividitur in Theoreticam & Practicam adduximus supra, ideoque missâ theoreticâ unicum hîc vel alterum ad practicam adjiciemus exemplum. Miramur sanè pegmata illa Romanorum in Theatris per se surgentia, & tabulata tacitè in sublimi crescentia, de quibus prolixè Plinius lib. 37. c. 15. & exactissimè Justus Lipsius de Amphi-

Amphitheatro c. 10. & seq. disserunt. Miramur Julium Cæsarem Scaligerum exercitatione 316. scribentem: *se naviculâ sponte mobilem, ac sui remigii autorem facturum esse nulla negotio.* Quod ipsum ut tanto viro credamus, movere nos potest Currus Veliferus, Tertii Principis Mauritii Nassovii, qui duabus horis Schevelina Pettemum ad quatuordecim milliaria Hollandica, quæ singula justæ horæ iter excedunt, magis volitavit quam cucurrit. Unde Hugo Grotius admirandam ejus celeritatem satis eleganti depingit Epigrammate:

*Phœbe quid attonitus nos aspicis? aspice vero?*
*Hoc curru poteras accelerare diem.*

Videatur desideratissimus noster Physicus disputatione priori de Magiâ naturali paragraph. 12. Miramur Aquilam illam Noribergensium â Johanne Regiomontano fabrefactam, quæ Cæsarem ab alto salutavit. Vide Alstedium libr. 4. Encyclop. c. 8. Sed quid foràs miramur, quæ domi mirari possumus? tria sanè sunt, quibus totâ Antiquitas nil par habuit, inquit Beatus Sperlingius adducto teste Cardano in Institut. pag. m. 319. typographia, Bombardarum inventio, pyxis nautica. De quibus sera sibi gratulatura est semper posteritas. Et rectissimè Excell. Dominus Professor Ziegra Præceptor semper honorandus cum suo Dn. Respondente Disp. de Magia §. 13. Homines si mirari velint Dresdam ubi τεχνηματοφυλάκειον est vulgò die Kunstkammer ablegarunt.

§. 3. Tota verò Magia naturalis, quamobrem etiam maximè expetenda, proximum finem habet, exactiorem mundi contemplationem; ultimum, gloriam DEI, quam etiam nos hisce tribuimus IPSI

TANTUM.